





3600  
2. F. S.  
DISPUTATIO JURIDICA;  
DE

20 16  
16893  
BONIS NAUFRAG-  
GORUM FISCO ET PRIVA-  
TORUM ACQUISITIONEM  
EFFUGIENTIBUS,

Quam  
Dante eo, qui prora & puppis nostra-  
rum actionum salutatur,

Consentiente amplissimo Actorum Ordine,

sub moderamine

Speſtabilis DOMINI DECANI,

Viri Prænobiliſſimi, excellentiſſimi & conſultiſſimi

DNI. THEODORI PAULI,

J.U.D. & Antecessoris hujus Academiæ celeberrimi, Præceptoris ac Patroni sui indefessis cultibus prosequendi,

Pro impetranda ritè in utroque jure 20

legendi facultate,

publicæ censure exponet

JOANNES Stein / J.U. Candidatus,

IN AUDITORIO MAJORI,

Ad d. Januarii, ann. M DC LXXXIX.

REGIOMONTI, Typis REUSNERIANIS.

ILLUSTRI ac GENEROSISSIMO DOMINO,  
DOMINO

CHRISTOPHORO  
ALEXANDRO à Kauschen/

Serenissimi Electoris Brandenburgici  
Camerario, Provinciæ Pruss. nec non Summi  
Tribunalis Consiliario, Districtus Rasteburgensis Capitaneo  
eminentissimo, Hereditario Domino in Kirschnehen/  
Sergitten/ Jockack/ &c. &c.

MOECENATI MEO AD CINERES  
SUSPICIENDO,

UT ET

PRÆNOBILISSIMO, AMPLISSIMO ET  
CONSULTISSIMO DOMINO,

DN. FRIDERICO  
Rupnern/

Serenissimi Electoris Brandenburgici  
Consiliario, Camerae in Prussia Præfecto, ratio-  
num bellicarum Commissario, Districtuum Lithuanicorum  
Prædiorumque ad privatum Principis Dominium spectantium  
Inspectori vigilantissimo, Hereditario Domino in  
Speichersdorf/ Awenden/ &c.

STUDIORUM MEORUM PROMOTORI

SUBMISSA MENTE VENERANDO,

VIRI  
ILLUSTRIS, GENEROSISSIME,  
AMPLISSIME, CONSULTISSIME!

**E**T sic intentionis meæ carbafus ventum  
Vestri favoris secundum concipiens ad  
exoptatum disputationis hujus navigium  
exposuit littus; hujus pixidis nauticæ ductum,  
secutus omnes hæcenus imminentes declinavi  
scopulos; huic firmissimam salutis spem præsa-  
gienti anchoræ sacrae innixus, procelloso pelago  
superato, desideratum sum ingressus portum.  
Hic itaque grati animi testimonium ut telonio  
debito explicem, præsentem disputationem li-  
cet rudem & incultum ingenii mei fœtum pedi-  
bus Vestris advolvo, indefinentibus Generosita-  
tem & amplissimam Dignitatem Vestram fati-  
gans precibus, ne offendamini hujus operis te-  
nuitate, sed exiguam radiorum, de Vestra luce  
inseram posteritatis progeniem coruscatura,  
partem ipsi accommodare, Vestroque illustri &  
fulgidissimo nomine hancce schediam in con-  
spectum hominum prodeuntem obumbrare be-  
nignis-

nignissimè velitis. Sic nullum fortunæ naufragium extimescam; sed sicut olim Julius Cæsar ingruente tempestatis sævitia metu exanguem his excitavit nautam verbis: nolite timere! Cæsa-rem vehis ejusque fortunam navigationis comitem: ita de omnibus exæstuantibus disputationis fluctibus tantorum præstantissimorum Virorum claro stipatus splendore indubitata mihi pollicebor victoriam. Hanc sanè si mihi indulseritis gratiam, mea provocabit viscera, ad supremum terræ marisque Dominum flagrantibus implorandum suspiriis, ut Generositatem amplissimamque Dignitatem Vestram inter tot tantasque hominum furias omni incolumitate superfundat; deplorando naufragio per multas annorum series vitam Vestram universæ Provinciæ præcipuè mihi proficuum eripiat; iracundam cœli inclementiam à prædiis Vestris avertat; omnigenum tandem felicitatis portum Vobis aperiat. Hæc ex interiori derivat pectore

*Generositatis, amplissimæque  
dignitatis Vestræ*

devotissimus servus

J. Stein/ J. U. C.



Uò majus ex navigatione in Rempubl. redundat emolumentum, *l. 1. §. 20. ff. De exercit. act.* eò pluribus ac gravioribus animam ratibus concedentes mariq; quæstū indagantes expositi sunt periculis, ita ut *Bias* Philosophus illos nec inter vivos nec vita functos numerare voluerit: & *Anacharsis* navigantes tantum à morte abesse dixerit, quantum digitorum navis contineret crassitudo: sunt enim adversæ maris procellæ inexorabiles & nemini parcunt, uti scripserunt *Bartol. & Salicet. in L. 2. C. De naut. fœn.* Nec gubernator quantumvis peritus æstuantem undam componere vel impetum sævientis maris retundere valet. *Petrus Peckius ad l. 1. ff. de incend. ruin. naufr.* Unde periculosam imò incertam navigationem appellat Imperator in *l. 6. C. de Offic. Rector. Provinc.* & illis qui navigant propinquum morti imminere periculum, asserit *Jctus in l. 3. ff. de donat. mort. caus.* ut propterea ipsi haud immeritò miserabilibus annumerentur personis. *Strach. de navigat. N. 1. seqq.* Cum igitur varios fortunæ ictus navigantes sustinere cogantur, ita ut haud rarò deplorandam naufragii fortunam sentiant, merciumq; pariter ac vitæ jacturam experiantur: haud abs re Legumlatores non solum de privilegiis, quibus naufragi gauderent, (cujus generis multa congesserunt *Perez. in Cod. de Naufrag. N. 7. 8. 31. Gail. lib. 1. observ. 18. Bartol. & Baldus ad l. 1. C. de Naufrag.*) verum etiam de remediis, quibus adversus injuriam hominum munirentur, introducendis, solliciti fuerunt. Inter quæ tamen illud principem sibi locum vendicat, cujus Imperatores *Fridericus in auth. Navigia. C. de furt. & Constantinus in l. 1. C. de Naufrag.* faciunt mentionem, ubi nullum jus filco & privatis in bonis naufragorum indulgendum esse, disposuerunt. Quam materiam exactiori mentis trutina ponderaturi

deraturi de singulis rubricæ hujus disputat, partibus singulatim agemus; ut prius bona naufragorum à fisci acquisitione exclusâ præsentemus; postmodum qua ratione eadem in privatorum possessiones jure transire nequeant, subjungamus. Sit igitur cooperante supremo Numine

## CAPUT PRIMUM.

### *Bona naufragorum fisco non sunt applicanda.*

Sepositis illis, quæ ab aliis prolixè de naufragii derivatione, definitione, ceterisque ad hanc materiam pertinentibus adduci solent, de quibus inter alios integram conscripsit dissertationem inauguralem *Jacobus Balthasar Gryphisw.* ad declinandum temporis naufragium, statim argumenta thesin nostram confirmatura aperiemus.

#### §. I.

**O**lim quidem per inveteratam invaluit consuetudinem, ut si per ingruentem maris sævitiam navis scopulis allisa fracta fuisset, vel in brevia incidens interiisset, vel in aliquo loco subsedisset, omnes res naufragio superstites amitterentur, & nauta periculum capitis adiret. *Der Schiffer hatte Leib und Gut verlohren. C. C. C. art. 219. Sicbard. ad auth. Navigia C. de furt.* Unde Neroni Tyrannorum pessimo suggererunt adulatores apud *Juvenal. Satyr. 4.*

*Quicquid conspicuum pulchrumque ex equore toto est,  
--- Res fisci est, ubicunque natat.*

§. II. Quam consuetudinem licet vetustissimis Rhodiorum legibus maritimis originem suam debere, arbitrentur *Seldenus, de mari clauso, lib. 1. c. 24. & 25. Besold. in thesauro pract.*

voc.



*voc. Grundrecht*: illam tamen nunquam ab Imperatore Antonino approbatam esse, satis dilucidum est ex *l. 9. ff. Ad L. Rhod. de jact.* ubi, quamvis mundi Dominum legibusque solutum se esse, affirmet Antoninus, se tamen pati dicit, ut lex Rhodia maris Domina salutetur, & controversia in mari obvenientes secundum ipsam decidantur, quod nimirum nulla lex Romana eidem adversatur: hæc autem nullatenus admittit, ut fisco naufragorum bona adjudicentur. *l. 12. ff. de jucend. ruin. naufrag.* Quæ constitutio à prælaudato Imperatore descendens omnem contrariam consuetudinem ut rationi inimicam penitus abrogat. *Perez. in Cod. de Naufrag. N. 28. Brunnem. ad d. l. 9. ff. Ad. Leg. Rhod. de jact.*

§. III. Plenissime navigantibus consultum legitur per Imperatorem Fridericum in *autb. Navigia C. de furt.* ubi tam ipsa navigia quam navigantium bona illis integra servari, ad quos spectabant, antequam navigia hujusmodi periculum incurrisent, disponitur, gravissimis in transgressores hujus Constitutionis sancitis pœnis: de quibus infra uberius dicendi occasio se exhibebit. Huic adstipulatur Imperator Constantinus (vel ut alii malunt Antoninus Pius. *vid. Selden. loc. cit. Vinn. ad §. fin. j. de Rer. div.*) in *l. 1. C. de Naufrag.* ubi expressè, si navis ad litus expulsa, vel si aliquam terram attigerit, eandem cum suis bonis ad legitimos Dominos pertinere, nec fiscum suum hoc casu se interponere debere, præcepit, addita eleganti ratione: quid enim juris, ait, habet fiscus in aliena calamitate, ut ex re tam luctuosa compendium sectetur.

§. IV. Scilicet erubuit Imperator religiosissimus ex alterius miseria lucrum sentire, & detestatus est hanc intolerabilem fisci aviditatem, ut cum lachrymis alterius ditesceret; humanitati quippe contrarium, calamitatem addere calamitati. *l. 14. ff. de offic. presid. l. 28. C. de Episcopal. audient. Joan de Platea & Brun. ad l. 1. C. de Naufrag.* Nisi calamitas veniat ex culpa afflictæ, puta ex delicto. *arg. L. 28. §. 3. ff. de pœnis. Gail. lib. 1.*

*lib. 1. observ. 18.* Quid autem quæso miser perpetravit, ut dignus rerum suarum amissione judicaretur? si enim ad declinandum mortis periculum levandæ navis causa merces in mare projecit, non est quod nota iniquitatis ipsi inuratur: cum ex duobus malis minus elegerit; minus autem malum respectu majoris induit rationem boni. Sanguinem quoque suum quovis modo redimere, apud mortales dulce & justum reputatur, *l. 1. ff. de bon. eor.* Multò igitur minus, si vis ventorum navem in altum præcipitavit, naufragus culpæ reus erit: quis enim adversus fluctuum rabiem se munire potest; cum actus merè invitus, cujus principium est extra agentem, dispositioni legis non subiaceat. *l. 16. §. 8. De publican.* quòd ratio ibi sequestratur, ita ut per actus externos voluntarios se explicare nequeat, *l. 116. ff. de Reg. jur.* Unde crudelitatis genus esse, dicit *Cassiodor. var. Epist. lib. 4. epist. 7. ultra naufragium velle deservire, & illos ad dispendia cogere, quibus inopem vitam probantur immania elementa dedisse. Addatur Klock. de erario lib. 2. c. 114.*

§. V. Profectò, cum Legum latores tanta erga obæratum debitorem commiseratione ducti fuerint, ut bonis cedentem, & postea ad pinguiorem fortunam pervenientem, denuò spoliari, & in solidum damnari prohibuerint: §. *fin. j. de Action.* quantò magis idem in naufrago, quem nulla culpa, sed maris æstus in talem infortunii casum detrusit, injustum foret, ut illud, quod tempestas reliquum fecit misero, fiscus velut altera tempestas eripiat ipsis fluctibus immitior. *Klock. de erar lib. 2. c. 114.*

§. VI. Et certè si absque probabili causa præcedente dominium alteri auferre, mera injuria dicitur: *Grot. de Jur. Bell. & Pac. L. 2. c. 7. N. 1,* ignoro, quò titulò fiscus naufragorum bonis inhiare queat: cum juxta Politicorum principia Princeps ne quidem ex plenitudine suæ potestatis privato jus quæsitum detrahere possit; *l. 2. §. 10. & 16. ff. Ne quid in loc. publ. l. 4. C.*

De

*De Emancipat. liber.* nisi utilitate publica id suadente, refusoq; justo pretio. *l. 13. §. 1. Commun. pradior.* quo casu locus datur dominio supereminenti *Gail. lib. 2. obs. 56. N. 1. seqq. Carpz. p. 2. Const. 33. defm. 16.* Sed enim improba alieni acquirendi cupiditas velum publici emolumenti sibi obtendere non potest: nam si naufragus est extraneus, non tenetur alterius territorii Majestatem suis sumptibus conservare; si subditus, ipse non solus exoriandus; cum boni Pastoris sit tondere pecus non deglubere: neque rami ita succidendi, ut nequeant renasci, sed per legitimos collectarum tramites, observata congrua proportione, ab omnibus subditis tantum exigendum, quantum inopiæ Reipubl. sublevandæ & dignitati regiæ sustentandæ esse possit.

§. VII. Sicut autem utilitatis publicæ colore bona naufragio amissa à fisco vindicari nequeunt; ita nec eidem patrocinatur inventionis titulus, quo res in littore repertæ jure regali fisco cedunt, non quidem secundum dispositionem juris Civilis, ceu quod inventori cuilibet etiam privato easdem addicit. *§. 18. j. de Rer. divis.* sed juxta consuetudinem plerorumque locorum, quæ etiam non contradicente jure naturali libertatem privatorum, accedente lege summæ potestatis prohibitive, circumscripsit, & hujusmodi generis bona ad corroborandam Imperii dignitatem fiscum augere præcepit. Hoc tamen ad naufragorum bona trahi non posse vel sola ista ratio probat, quod inventio utpote occupationis species sit rerum illarum, quæ in nullius Dominium transierunt: *§. 12. j. de rerum div.* bona autem naufragorum reapse dominos suos recognoscant, qui licet non corpore animo tamen rerum suarum possessionem retinent. *§. 5. j. de Interdict.*

§. IIX. Frustrà quoque pro æquitate hujus flebilis emolumenti pugnat ratio à *Tbolosano lib. 9. de Rep. c. 1. N. 29.* adducta, quòd non minus cura & resectio portuum littorumve ac viarum publicarum officio Principis incumbat, & sicut iter terrestrè à latronibus, ita maritimum à piratis purgare teneatur; in  
B quem-

quemcunque autem derivatur onus, in eum quoq; emolumentum pullulare debeat. Enimverò hæc opera satis pensatur solutione vectigalis, à navibus spontè portum intrantibus, facienda. Imò parùm quoque hoc viæ publicæ littorumque commodo frueretur naufragus, si omnibus suis exueretur fortunis.

§. IX. Reipubl. potius conducet, ut bonis residuis stipatus navigationi & mercaturæ operam adhibeat: quòd nihil magis florentem conciliare Remp. valeat, quàm liber largusque commerciorum usus; cum enim non quævis tellus omnia ferat, mercaturæ beneficio unius gentis abundantia alterius inopiam supplet, dum utilia apportantur, superflua evehuntur. *vid. König. in theatro polit. p. 1. c. 3. N. 116. seqq. Sixt. in de regal. L. 2. c. 3. N. 37. seq.* His autem commerciis impedimentum creantes, laudatissimam humani generis societatem mutuasque benefaciendi occasiones tollere, & tandem naturam ipsam violare censentur. *Grot. dissert. de mari liber. c. 1.* Istos igitur, qui naufragis innoxium denegant aditum, eosdem ita spoliando, ut ob facultates exhaustas nunquam mercaturam exercere, vel ad pristinam fortunam aspirare queant, in eundem incidere reatum necesse est. *Grot. citat. loc.*

§. X. Accedit, quòd navis vi ventorum vel hostium aut piratarum timore ad portum delata, etiam à præstatione vectigalis immunis declaretur: cum leges à navigantibus portorium exigentes, de spontè non vi externa cogente adventantibus, explicandæ veniant. *Bartol. & Bald. Joan de Platea. Brunnem. ad L. 1. C. de Naufrag. Perez. in Cod. de Naufrag. N. 31. Stracha de Navib. p. 2. N. 26.* Multò minùs à fisco avaro naufragus residuis suis bonis orbari debet: ne dum minimo lucro fruitur, totius jacturam experiatur; ne & illud, quod in favorem naufragi introductum, in odium ipsius detorqueatur.

§. XI. Huic sic satis rationibus munitæ sententiæ etiam suffragantur *Carolus quintus in Const. Crim. Art. 219. & Rec. Imp. de*

*de anno 1559. §. Und nachdem an ehlichen Orten. ubi contra-*  
*ria consuetudine tanquam irrationabili annullata, omne in bo-*  
*nis naufragorum vindicationis jus fisco denegatur, eaque legi-*  
*timis suis Dominis restituenda, disponitur. Jus Canonicum ex-*  
*communicationis fulmine illos percutit, qui damnata cupidi-*  
*tate naufragio afflictos suis fortunis privant. c. 3. X. de Raptor.*  
*Quæri solet, utrum hæc excommunicatio ipso factò an vero per*  
*sententiam judicis fiat? Rr: ipso facto, propter verba d. c. 3.*  
*Ex communicationi se noverint subjacere. Ratio est, quia naufra-*  
*gi miserarum Personarum, quas Ecclesia defendit, catalogo o-*  
*mnijure adscribuntur. Addatur can. 37. caus. 26. qu. 3. Petrus*  
*Peck. ad L. 4. ff. de incend. ruin. naufr.*

§. XII. Hæc jura ita stabilita per contrarios ampliùs mo-  
res aboleri nequeunt: cum dicta *auth. Navigia C. de furtis addi-*  
*ta formula: Sublata penitus omnium locorum consuetudine, quæ*  
*etiam in C. C. C. & Recess. Imp. all. locis reperitur, hujus sit effi-*  
*caciæ, ut non tantum consuetudinem præteritam legi scri-*  
*ptæ contrariam tollat, verum etiam novam introducere prohi-*  
*beat. Similia hujus rei exempla reperiuntur in auth. Cassa C.*  
*de SS. Eccles. auth. omnes peregrini C. Commun. de Success. c. 5. x.*  
*de jurament. Calumn. Recess. Imp. de anno 1548. tit. Von Hand-*  
*wercks Söhnen. Brunn. ad L. 1. & 2. ff. de incend. ruin. naufr.*  
*& ad d. auth. Navigia C. de furt. Sicbard. ad d. auth. Præterea à*  
*naufragorum bonis fiscum arceri, non solum juris Civilis te-*  
*nor efflagitat, verum etiam juris naturalis æquitas deposcit.*  
*Quotiescunque autem jus Civile prohibet suâ naturâ illicita,*  
*toties contra illud nec contraria statuta promulgata valere, tra-*  
*dunt Bartol. & Dd: communiter ad L. 9. ff. de justit. & jur. Joan de*  
*Platea ad L. 1. C. de Naufrag.*

§. XIII. Observantia quoque fori pro naufrago in mul-  
tis adhuc locis præcipuè Germaniæ militat. Sic ex *auth. Navigia*  
*C. de furtis* mandata sine clausula in Camera Imperiali contra  
Holsatiæ Duces in causa Senatus Hamburgensis decreta fuisse,

testatur *Gail. Lib. 1. obs. 18.* Idem factum in causa Civitatis Lubecensis contra comitem Oldenburgensem, refert *Sixting de Regal. Lib. 2. c. 3. N. 9. seqq.* Nec Schlesvvigum miserorum mercatorū bonis ditari vult. Sic etiam Bogislavus hujus nominis decimus Pomeraniæ Dux morem, ut naufragorum bona à fisco apprehenderentur, olim in Pomerania usitatum sustulit. *vid. Micrelus in Pomeran.* Idque conforme reperitur *den Pomerischen Lands-Privilegien. §. dem. Handthierenden Kauffman.* Woldemarus Rex Daniæ civibus Brunsvicensibus anno 1227. hoc privilegium indulgisse legitur, ut, quæcunque de naufragio salvare possent, liberè possiderent. *Klock. de arario L. 2. c. 114.* Dania ipsa in hoc consortium trahendum, uti manifestum est *ex jure Danico, lib. 3. c. 36.* quod naufragos adversus suos spoliatores munit. *Besold. in thesaur. pract. voc. Grundruhrrecht ibiq. Addit. Philippi in usu pract. Inst. lib. 2. Ecclog. 21.* Hinc Christianus Rex Daniæ, lege de naufragorum bonis confiscandis abrogata, dixisse fertur: sibi periisse annua 100. aureorum millia. *Annotat. ad Grot. lib. 2. c. 7. Pr.*

§. XIV. Sed proh! mores plerorumque locorum ab his rationi optimè congruentibus institutis divortium faciunt; ubi tanta apud Principes regnat animorum inclementia, ut jus bona miseris auferendi suoq; fisco incorporandi sibi arrogant, & ad regalia referant. Hoc jus *Stramen* effert *Zieritzius ad C.C.C. art. 219.* Germanis dicitur *das Strandrecht / Grundrecht / Fahrrecht / item Grundruhrrecht.* Galli denominant *le droit de naufrage.* *Besold. in thesaur. pract. voc. Barge-Geld & voc. Grundruhrrecht Klock. de arar. lib. 2. c. 114.* In Anglia *Wreckum* appellatur. *Christoph. Peller. in annotat. ad Klock. cit. loc.* Idque jus adeò invaluit, ut, cum aliquando Legatus Cæsaris coram Henrico Secundo Francorum Rege questus esset, duas naves ad littus ejectas & à Jordane Ursino Principis nomine captas esse, easque restitui postularet, Annas Mommorantius Magister equitum responderit: ea quæ ad littus ejecta, gentium  
omnium

omnium jure (quod tamen falsum esse, *preced. §.* probavimus) ad Principes, qui littoribus imperarent, pertinere. Idem servari in Italia, Neapolis, Sicilia, Hispania, Anglia, Gallia, Aquitania, Navarra oris maritimis, testantur *Lucas de penna ad L. 1. C. de Naufrag. Arniseus lib. 3. de juribus Majestatis c. 6. N. 16. Klock. de arario lib. 2. c. 114.* Quamvis autem ab hac iniquitate eximant Galliam *Choppinus de Domino Francia lib. 1. tit. 16. N. 9. & Tholosanus in Syntagmate jur. lib. 3. c. 14. N. 8.* dicentes, cautum ibi esse Lege Regia, ut tertia pars omnium, quæ ex pelago extrahuntur, ad Principem regio jure pertineat, altera ad maris præfectum, tertia ad Navarchos repertores; si tamen intra annum Domini rerum suarum jacturam persequantur, easdem recuperent, solutò præmiò inventionis, juxta *const. latam anno 1517. & 1543.* Attamen contrarium hujus juris exercitium satis memorabile suppeditat *Gramondus Histor. Gallic. lib. 16.* ubi narrat, quod *anno 1627.* ad maritimas Aquitaniae plagas classis Indica, quæ maximas opes ab Orbe novo in Hispaniam importare consuevit, naufragium fecerit, & præcipuè altera ex navibus onerariis diu obluçtata ventis pelagoque, tandem ab Buchii promontorium scopulo illisa omnes destituerit, & quomodò Dux Espernonius Dominus promontorii Buchiensis feudi jure merces enatantes cymbis exceperit, submersas verò per urinatores collegerit tanto proventu, ut res ipsi familiaris ex fortuita præda in duplum aucta fuerit. Imò hæc consuetudo in memorato regno tam firmas egit radices, ut ne Andreas quidem Doria questus sit de navibus in littus Celticum ejectionis, & à præfecto classis Gallicæ direptis. *Boding de Rep. Lib. 1. c. 10. N. 171.*

§. XV. Hanc tamen ita inveteratam consuetudinem Principes naufragorum merces occupantes in foro conscientia rutos non reddere, ait *Brunnem. in auth. Navigia C. de furtis.* Eandem injustam appellat *Antonius Scappus de jure non scripto lib. 5. c. 155. N. 19.* impiam & crudelem *Scharaius in Lexic. jur. ad verb. Naufragium.* Graviter quoque in illam invehitur memo-

ratus Bodinus loc. cit. dicens: Barbarum id quidem & antiquis inusitatum, ut, cujus opes ac fortuna naufragio miserè perierint, & quem nostris opibus sublevare debeamus, ejus reliquias, quas ad litus ejectas bona fide restitui oportebat, turpiter diripi patiamur. Sic tamen, inquit, vivitur, ut qui portus habent, eam crudelitatem cum in cives tum in peregrinos exequantur. Jus quaris? error jus facit: at si non peccatur errore sed scientia, scelus est, quod erroris specie prætenditur. Sanè quemadmodum manifestam saperet iniquitatem, si ex incendio alioq; casu miserabili princeps suum emolumentum ptomovere studeret: ita eandem vituperii notam effugere nequit, dum naufragos calamitatis malo jam pressos unà cum radice evellere conatur. Hinc eleganter loquuntur Besold. in thes. pract. voc. Bargegeld & Partben. Litigios. lib. 1. c. 13. N. 5. Omni ratione caret, lites movere ei, cui Deus ipse lites maritimas movit. Iniquū enim est ex alieno fletu risum sibi conciliare. cap. 20. X. de privileg. Hoc itaq; lucrū ex lachrymis miserorum perceptum Supremum Numen ad irā flagrantem nec immensò quidem Oceanò delebilem justamque vindictam provocare, & integras interdum familias regias destruere, sapissimè cernimus. Uti Achab, ob vineam suo subdito Naboth ademtam, cum sua uxore Jezabel & universa prospia maectatus & extirpatus legitur 1. Reg. 21. & 2. Reg. 9. & 10. §. XVI. Nec etiam hanc per multa retrò secula observatam consuetudinem diuturnitas temporis legitimare valet: Isti enim mores, qui cum rectæ rationis dictamine & ex eo descendente jure naturali pugnant, non sunt humani, ipso judice, sed ferini, corruptelæ & abusus. Itaq; nulla lata lege justificari, nullo multarum etiam gentium consensu & exercitatione stabiliri queunt. Quod adeò verum, ut ne per mille annorum usum quidem legitimentur; adest quippe vitium rei adhærens, quod ita rem sicut lepra leprosum comitatur. Deficit bona fides; cum principes non fallat, miserorum Dominio istas res esse addictas. Titulo quoque justo hæc præscriptio non est suffulta juxta §. 4. *bujus*



*bujus capit. Grot. de mari liber. c. 7.* Ex variis igitur vitiis hæc præscriptio corrumpitur. Nec quicquam facit, quod multi populi etiam moratiores hoc jus de bonis naufragorum. fisco applicandis receperint; unde tanquam jus gentium honorandum. Enimverò multitudo errantium legem non gignit. Neque illud pro jure gentium reputandum, cui tot populi æquè morati contradicunt; quod rectæ rationi adversatur, & ita ipsi juri naturali nulli ceteroqui mutationi obnoxio partem avellere intendit. Dicimus igitur cum Ulpiano, esse quidem hoc receptum, tamen nullo jure. *l. 13. §. ult. de injur.*

§. XVII. Quamobrem in aliis territoriis mitior naufragis afflat aura, ubi quidem non in totum à fisci minis securi; intra certa tamen temporum intervalla rerum per fluctuum sævitiam abreptarum iterumque repetendarum facultate gaudent. Sic licet in Batavia olim à fisco statim fuerint vindicata bona naufragorum cum tabulis & fragmentis quassatarum scopulisque illis arum navium; postea tamen indies crescente navigatione hic rigor correctus, & ab Ordinibus istius provinciæ constitutum, ut suas cuique res ruptas deperditasque repetere liceret, modò jus suum persequeretur intra annum & 6. septimanas, impensasque ab harum rerum susceptoribus factas refunderet; quo tempore elapso publicantur & fisco acquiruntur. *Grot. 2. manuduct. 4. & ex eo Vinn. ad §. fin. j. de R. D.* In Prussia si naufragium passi ipsi merces & bona sua periculo exemerint, & in terram reportarint, sine ullo onere eadem possident. Si verò ab illis, qui jurisdictionem in isto littore exercent, vel maris accolis bona naufragorum servata fuerint, sine ullo Magistratus lucro, dato saltem æquò navatæ operæ pretiò dominis suis restituntur. Si quæ merces verò perditæ vel submersæ intra annum non extractæ, postea in potestatem Magistratus pervenerint, nullum amplius repetendi jus pristinis indulgetur Dominis. Ita cautum *jure Prut. Lib. 3. T. 1. Art. 12. §. fin.*

§. XIX. Quæritur, an facultas repetendi sua bona naufragis

fragis concessa à Legislatore intra annum coarctari possit? *Brun-*  
*nem. ad auth. Navigia C. de furtis* hujusmodi legem æquitati  
non respondere existimat. Affirmativæ tamen sententiæ ut  
rationibus juris magis consentaneæ subscribit *Perez. in Cod. de*  
*naufrag. N. 29.* cum Dominus res suas deserere censeatur, qui  
intra spatium à Legibus præfinitum eas non recuperat. Summæ  
quippe potestatis officio incumbit, negligentia hominum cer-  
tos ponere terminos, ne dominia rerum in incerto maneant,  
& lites infinitæ ex ista incertitudine generentur. *pr. j. de usucap.*  
*& long. tempor. præscript.*

§. XIX. Alii præter modò allatum se exhibent casus, qui-  
bus etiam fisco aditus ad naufragorum bona justus patet: ut si  
(1) naufragium passi animum recuperandi abjecerint, aut ex-  
presse declaraverint, se habere bona abjecta pro derelictis;  
(quod aliàs non præsumitur, ut infra demonstrabimus) tum  
enim bona à publicanis nomine fisci occupata ipsi acquirun-  
tur. §. 46. j. de rer. div. *Klock. de arar. lib. 2. c. 114.* (2) Si bona  
naufragio ejecta sint infidelium aliorumque Christianæ fidei  
hostium, aut piratarum in mari grassantium: *auth. Navigia C.*  
*de furt.* hi enim tanquam turbatores commerciorum publi-  
corum ipso jure sunt diffidati, ita ut impunè à quolibet possint  
occidi, multò magis suis bonis privari: cum omnibus contra  
hos grassatores exercendæ publicæ ultionis auctoritas data  
esse censeatur. l. 1. §. 3. ff. de dol. mal. *auth. Cassa C. de SS. Eccles.*  
*Sichard. ad d. auth. Navigia C. de furt. Petrus Beckius ad l. 4. ff.*  
*de incend. ruin. naufrag. & add. auth. Navigia.* Excipiuntur ta-  
men illa bona, quæ ab aliis sine fraude piratarum navibus im-  
posita; hæc enim non eodem jure, quo piratarum bona ut-  
pote nullò vitiò contaminata æstimantur: modò dominium  
hoc casu legitimè probatum fuerit. *Grot. de jure B. & P. L. 3.*  
*c. 6. N. 6.* item quæ à piratis nostratibus sunt erepta, quæ rever-  
tuntur ad Dominos pristinos: nullo enim jure possessio illo-  
rum interversa & ad piratas translata. *Grot. de j. B. & P. L. 3.*  
*c. 9.*

c. 9. N. 16. & 17. ubi tamen addit, quod Lege Hispanica contrarium introductum sit, ita ut naves à piratis captæ illorum dominio cedant, qui eas piratis eripiunt, ob publicam utilitatem & recuperandi difficultatem. (3) Majestas etiam meritò sibi vindicat ista bona naufragio amissa, quorum domini ignorantur, quæ uti reliqua *adscripta* sive Dominum non habentia fisco incorporari possunt, si per Legem positivam illorum acquirendorum facultas antea privatis interdicta fuerit. Confer. §. 7. *hujus cap. Klock. de arar. L. 2. c. 114.*

His de fisci jure circa naufragorum bona pensatis, ordo nos ad alterum rubricæ hujus dissert. membrum breviter perlustrandum vocat. Sit igitur

## CAPUT SECUNDUM.

### *Bona naufragorum privatorum acquisitioni non subjacent.*

Cum bona naufragorum ad fiscum nullo jure exceptis certis casibus modò adductis devolvantur, multò minus privati avaras suas manus ad illorum res servatas extendere queunt; quòd pinguioribus fisco præ reliquis sit instructus privilegiis: de quibus vid. *Coll. Argentor. de jure fisci N. 34. & Lauterb. in compend. jur. add. t. de jure fisci. Cboppinus de Dominio Francie.* Breviores igitur in hoc membro explicando existere possumus; cum pleraque, quæ supra ad arcendum à naufragorum reliquiis fiscum luci exposita, privatos quoque ab iisdem removeant. Quædam tamen, quæ thesi nostræ corroborandæ inservient, superioribus addere, operæ pretium fore arbitramur.

#### §. I.

**S**I cognationem inter homines natura constituit, ita ut nefas ducatur, hominem hominis vitæ insidiari: *l. 3. ff. de justit. & jur.* sanè ipsius bona ad se rapere velle, iniquitatem saperet: sine his enim ut necessariis vitæ subsidiis homo vitam alere nequit.

C

quit.

quit. Societatis potius humanæ vinculum indissolubile reddet mutua utilitas, quam invicem promovere, homines per istam cognationem generalem obstringuntur, quò reciproca inter ipsos benivolentia gliscat. *Pufendorf. de officio hominis & civis lib. 1. c. 8. §. 1.* Hi autem qui naufragii discrimine functos bonis residuis spoliant, non ob hanc solum causam societatis humanæ hostes nuncupari merentur, quò emolumenta ipsorum non augeant; sed quod etiam insatiabili alienarum rerum acquirendarum libidine capti cum ipsorum detrimento suas dilatare possessiones studeant, contra *L. 206. ff. de R. j.*

§. II. Alio adhuc & egregio utitur argumento *Petrus Peckius*, inquit: *Si inimico nocere non licet, quid de his dicendum censebimus, qui non hostium, non inimicorum, non vim inferentium, sed amicorum, concivium & miserorum merces fœdissimo delicti genere rapina scil. diripiunt. Quis humane eloquentiæ vi satis posset explicare, quanta gravitate ob oculos posuerit Deus T. O. M. legem naturæ de honestate vivendi, de non ladendo proximo, de reddendo cuique suum. Igitur quis satis mirari queat, hominem creaturam omnium nobilissimam tam pii parentis præceptum contemnere, & contra omne humanitatis officium, itineris sui consocium nefaria contrectatione fortunæ bonisq. exuere. Ad rubr. ff. de Incend. ruin. naufr.*

§. III. Ex introducto quoque rerum dominio, postquam vel per occupationem vel divisionem rerum communio sublata, ista resultarunt inter homines officia, ut quilibet teneretur alterum hostili pectore non instructum pati, rebus suis quietè frui, neque vi vel fraude illas corrumpere, intervertere, aut ad se trahere; multò magis quando res aliena in potestatem extranei pervenit, hic efficere cogitur, quantum in se est, ut in manus legitimi Domini revertatur. *arg. L. 31. §. 1. ff. Deposit. Pufendorf. de offic. hom. & civ. Lib. 1. c. 13. §. 1. & 2.* Hoc juris naturalis præceptum à naufragorum spoliatoribus inventa non restituentibus violari, nulla indiget demonstratione.

ne. Unde furti se inquinant turpitudine, dum alienarum rerum contrectatores existunt, quam actuali rerum spoliatarum restitutione demum abluere queunt, juxta illud Augustini: *Pecatum non remittitur, nisi restituatur ablatum.*

§. Et, si illud, quod nostrum est, sine facto nostro ad alium transferri nequit: *l. ii. ff. de Reg. jur.* nescio, quo jure quæve injuriâ extraneus naufragorum bona possidere possit. Contractum inter eosdem non præcessisse supponitur; donatio non præsumitur, cum in necessitatibus nemo liberalis esse censeatur. *l. 18. ff. de Adim. vel transfer. leg.* Nec etiam naufragus res suas pro derelictis habuisse fingi potest: ad hoc enim, ut res pro derelictis habeantur, non solum requiritur factum abjectionis, verum etiam derelinquendi animus. §. 46. j. de R. D. Prius quidem adest requisitum in jactu mercium à naufrago facto, sed deficit posterius: actus enim abjiciendi hic non est directus ad dominii translationem, sed ad periculi imminentis evitacionem, §. fin. j. de R. D. l. 8. ff. de l. Rhod. de jact. l. 7. ff. pro derelicto. l. 9. §. ult. de Acq. rer. dom. Hinc etiam hujusmodi bona usucapioni non sunt obnoxia: quia non sunt derelicta, sed deperdita. d. l. 7. ff. pro derelict. Balduin. ad §. fin. j. de R. D. Perez. in Cod. de Naufrag. N. 26. & 27. Vinn. in commentar. ad §. fin. j. de R. D. Stryk. ad d. §. fin. Grot. de jur. B. & P. Lib. 2. c. 4. N. 5. Haud quidem negamus, aliquid spontanei subesse in mercium jactu: adest enim principium internum scilicet consilium mortis declinandæ; attamen etiam invitus dicendus, quoad tempestatem, tanquam causam extrinsecus ad mercium jactum naufragum impellentem: hinc rectè ad actiones mixtas referatur. Vinn. d. l.

§. V. Sed Obst. l. 43. §. pen. ff. de furtis, ubi plerumque credendum esse dicitur, quod Dominus animo derelinquendi merces jactaverit, cum sciat res perituras. Hæc lex juris interpretes in tam diversas rapuit partes, ut etiam Anton. Matth. in not. ad §. fin. j. de R. D. manifestam inter all. L. 43. & §. fin. j. de R. D.

reperiri antinomiam, largiatur, contra *L. 2. pr. C. de V. I. E.* Alii tamen verecundiùs de Imperatore nostro sentientes haud incongruè de conciliatione hujus pugnae apparentis sunt solliciti. *Ludw. ad d. §. fin. j. de R. D.* autumat, all. *L. 43.* loqui de rebus statim perituris, quòd maris humorem ferre nequeant; *d. §. fin.* autem de rebus ex maris humore nullum vitium contrahentibus; ita ut priori casu animus derelinquendi, posteriori autem intentio periculum potiùs effugiendi naufragos jactum facientes occupasse censeatur. Alii, *Ulpianum in d. l. 43.* jactum spontaneum nulla urgente necessitate contingentem intellexisse, ferunt, secus esse, si urgente durissimo necessitatis telo ad avertendas lethales fluctuum minas naufragus in jactum consenserit. Ita *Wesemb. & Vinn. ad §. fin. j. de R. D. Perez. in Cod. de Naufr. N. 26. Struv. in Syntagm. jur. Civ. Exercit. 41. N. 60.* Alii de mercibus in vastissimo pelago ejectis *d. l. 43.* explicant, propter difficilem illarum recuperationem: *§. fin.* autem de jactu, in loco non adeò à littore remoto, facto. *Brunn. ad L. 8. ff. de L. Rhod. de jact. Stryk. ad §. fin. j. de R. D.* Cui sententiae, salva auctoritate contrariae subscribentium opinioni, meum quoq; adhibere suffragium non morabor.

§. VI. Ex haecenus dictis fluit, quod si quis naufragorum bona in littore reperta suis adjicere possessionibus non vereatur, furti infamiam reportet. *l. 43. §. 4. & 11. ff. de furt. §. ult. j. de R. D.* Unde praeter actiones rei persecutorias scil. conditionem furtivam, rei vindicationem, ejusdemque praeparatoriam, nimirum actionem ad exhibendum, etiam actione furti vel vi bonorum raptorum conveniri potest; praecipuè si naufragio factò res in littore jacentes ablatae fuerint. *l. 1. §. ult. l. 2. & 3. pr. l. 5. ff. de incend. ruin. naufrag.* Si autem in ipsa naufragii trepidatione res raptae, tunc si civiliter agitur, datur actio poenalis mixta adversus contrectatores intra annum in quadruplum, post annum in simplum: *l. 1. pr. ff. d. t. l. 18. C. de furt.* si verò criminaliter, relegationi, fustigationi, in opus publicum damnationi,

tioni, imò interdum tanquam latrones & aliis poenis, pro qualitate delicti secundum iudicis arbitrium, subjugantur. *l. 7. ff. de incend. ruin. naufrag.* Omnium tamen optimè naufragis consultum legitur per *auth. Navigia C. de furt.* ubi, poenis antea memoratis in suo vigore permanentibus, hæc superadditur, ut confiscatione omnium bonorum aliisque modis juxta mandatum iudicis hæc raptorum audacia compescatur; non attenta amplius distinctione, utrum res naufragii tempore an verò illo finitò abreptæ fuerint: cum *dicta auth.* generalibus utatur verbis. *Sichard. ad d. auth. Navigia C. de furt. Brunnem. ad l. 1. § 2. ff. de incend. ruin. naufrag.* Nec etiam hæc publicationis bonorum poena per *auth. Bona damnatorum C. de bonis proscripti. & Nov. 134. c. ult.* est sublata. *Dicta enim auth. Navigia C. de furt.* est Friderici II. Imperatoris, & ita posterior *Novellâ allegatâ 134.* quæ justinianum ut Auctorem suum agnoscit; jura autem posteriora demum prioribus non contrà derogare solent. *l. fin. ff. de Constitut. Princip.* Præterea *d. Nov. & auth. Bona damnatorum.* saltem loquuntur de interdicta confiscatione bonorū ejus, qui ad ultimum ducitur supplicium, de quo casu etiam intelligendus venit *C. C. Cne art. 219. Richter. ad auth. Navigia C. de furt. Brunnem. ibid.* Hodie etiam gravius animadvertitur in hujus criminis reos, & quandoque capitaliter, præcipue si hoc furtum iteratum: sic enim improbus fur habitum in peccando contraxisse censetur. Nulla quoque ratio est, quare mitius cum hujus generis furibus quam aliis agendum sit *C. C. C. art. 162.* Quin etiam mortis genus propter crescentem hominum proterviā exasperari nonnunquam potest. Sic si quis in tantam inciderit mentis perversitatem, ut tenebris obortis navigantes procul venientes ostenso lumine in vitæ pariter & bonorum discrimen deducat; uti à pirata quodam scopulos inter Angliam & Galliam defixos insidente factum, qui lumen in prætorix navis morem navigantibus exhibens innumerabiles naves ingentem hominum multitudinem ferentes funditus evertit; cujus rei memoria adhuc hodierno die in proximo littore celebratur, ubi exaratis carminibus miseram istam cladem flebili lectione repetere licet: quis dubitabit, tanta flagitii illuvie conspurcatum in exemplum ceterorum atrocissimo suppliciorum genere cruciandum esse? *Petrus Peckius ad l. 10. ff. de incend. ruin. naufrag.*

§. VII. Dantur tamen casus, quibus naufragorum bona subtrahentes ab omni poena immunes declarantur. Ut, si quis non lucrandi animo rem amovit, sed ut eam salvam restitueret Domino: vel si quis putet, rem spontè jactatam & ita pro derelicto habitam. *l. 43. §. 6. § 11.*

*ff. de furt.* Etenim actus intentionem agentium egredi non debet, ita & poena ultra delinquentis propositum extendi nequit. *Petrus Peckius ad l. 5. ff. de incend. ruin. naufr. Vinn. ad §. fin. j. de R. D.* Idem obtinet, si dominus ejecerit merces, quas scit, aqua perituras: illas enim inveniens suas facit, cum animus derelinquendi subfuisse censeatur. *Mynsinger. ad §. fin. j. de R. D. Petr. Peck. ad l. 4. ff. de incend. ruin. naufr.* Huic tamen casui non est annumerandus ille, quem adducunt *Hermenopolus lib. 2. Juris Ἡεροπόλων & Giphon. ad §. ult. j. de R. D.* scilicet, si quis cum magno vitæ suæ discrimine istas res profundo maris extraxerit, addita hac ratione: quod hujusmodi res pro desperatis & quasi pro derelictis habeantur. Rectè enim istos refutat Auctores *Baldwinus ad §. fin. j. de R. D.* dicens: jure civili hoc nusquam introductum, nec tantum favori urinatorum tribuendum esse.

§. IIX. Multò minùs ignorantiae larva raptorem supplicio eximere potest: cum nihil ad factum minuendum faciat, quod, cujus res ablata, ignoretur. *l. 43. §. 4. ff. de furt.* Omnes enim scire debent, quod suum non est, hoc ad alium omnibus modis pertinere. *l. ult. C. unde vi. Perez. in Cod. de bon. vacant. N. 23. Vinn. ad §. fin. j. de R. D.*

§ IX. Proinde ad hanc ignorantiam affectatam evitandam, diligenter ab inventore Dominus inquiri debet, vel publica præconis voce, vel ex suggestu per verbi divini ministros homines admonendo, aliquid deperditum esse; vel per libellum propositum declarando, se rem talem invenisse, redditurum ei, qui suam esse certis indiciis probare possit. *l. 43. §. 8. ff. de furt. Vinn. ad §. fin. j. de R. D. Perez. in Cod. de furt. N. 8. C. I. A. ad tit. de A. R. D. N. 57. Carpz. p. 3. Const. 31. def. 18. N. 5. Schneidew. ad §. fin. j. de R. D.*

§. X. Dominus legitimus comparens sine refusione pretii & gratis rem amissam repetit. Sed quaeritur, num *εὐγεγεῖν* i. e. inventionis præmium iis dari solitum, qui bona naufragorum collegerunt, futurisque dominis reposcentibus asservarunt, Germ. *das Borgegeld* / vel *Bargegeld* / item *Berglohn* petere liceat? Rr, quod oblatum quis accipere non prohibeatur, petere tamen honestè non possit, si casu fortuito rem invenerit; si autem singularem rei conquirendæ causâ industriam impenderit, æquum est, præmiò datò hanc operam compensari: *l. 43. §. 9. ff. de furt. junct. l. 15. ff. de prescript. verb. Sl. 4. §. 4. de condict. ob turp. caus.* ut ita homines præmiò magis alliciantur ad propalandum, quàm ad occultandum. Hoc autem inventionis præmium æstimandum est ex judicis arbitrio, consideratis qualitate rei inventæ, loco inventionis, tempore



pore amissionis aliisque circumstantiis. *Anton. Scapp. de jur. non script. Lib. 5. c. 115. N. 12. seq.* Ceterum ei, qui suis sumptibus possessionem rei alienæ adeptus, multò magis iidem sunt restituendi: cum dominus ipse ad rem recuperandam eosdem impensurus fuisset, si ipsius adipiscendæ occasionem habuisset. *Stryk. ad §. fin. j. de R. D. Besold. in thes. pract. voc. Bargegeld. Grot. de jur. B. & P. L. 3. c. 9. N. 16.* Unde in Selandia saluberrimè cautum, ut is, qui anno & 6. septimanis collectas merces domino custodierit, mediocrem custodiae mercedem exigere possit. *Petr. Peck. ad auth. Navigia C. de furt.* In Prussia naufragi intra anni spatium bona sua recuperantes justum navatæ operæ pretium inventoribus dare tenentur. *jus Prut. L. 3. t. 1. Art. 12. §. fin.*

§. XI. Verùm quid si non appareat, qui rem inventam suam esse asserat, cuinam adjudicanda? Rr. quod paupertatis mole gravatus illam ut munere DEI collatam sibi retinere queat; pinguiori fortuna instructus ratione juris inspecta, inventionis titulò eandem sibi reservare itidem possit: cum talis res à Domino intra statutum terminum non comparente pro derelicto habita esse censeatur; cujusmodi bona inventientium dominio addicuntur: §. 46. j. de R. D. quodcunque enim est nullius, id naturali ratione occupanti conceditur. §. 12. & 18. j. de R. D.. Nulla itaque juris necessitate dives ad rem inventam in pios usus convertendam astringitur; quamvis eundem benè & piè alimoniam pauperum hâc ipsâ promovere, non diffiteamur. *vid. auth. Omnes peregrini C. Communia de success. Perez. in Cod. de furt. N. 8. & de bonis vacantibus N. 23.* jure Saxon. duas partes fiscus, si Dominus non compareat, tertiam partem inventor capit. Quin adveniienti quoque Domino duæ saltem portiones assignantur, & inventori tertia salva manet. *lib. 2. art. 37. Carpzov. p. 3. C. 31. def. 18. N. 8. seqq.* jure Pruten. facta triplici denunciatione in templo ex cathedra, dominoque intra annum & diem non comparente, res inventa pleno jure adjudicatur repertori; ita tamen, ut, si postea queratur Dominus, se in rei inventæ & denunciationis factæ notitiam non venisse, ipsi adhuc intra 4. Septimanas, refusis in rem inventam impensis, ejusdem recuperandæ facultas indulgeatur. *lib. 3. t. 1.*

*A. 11. §. 1. & 2.*

SOLI DEO GLORIA.

ER

**E**st LAPIS, Aonidum, Warnæ, quæ littora amara  
 Obludunt, curâ genitus rarèque politus.  
 Hic Adamas solidus radios qui spargit amœnos;  
 Hic Jaspis viridis, qui spe viridante monetur  
 Altius extolli; Hic Carchedonius per amoris,  
 Quem justè fovit, fecitque, fidelia signa;  
 Hic Eranus, qui cœruleos modò respicit arcus;  
 Hic Magnes, validè qui motat ferrea corda;  
 Lydius hic LAPIS est justi quò jura probentur;  
 Ad latices ideò Warnæ monitorius ortus:  
 Quodque tenent lapides clari, id tenet hic LAPIS omne.  
 Huic Musæ Latii, Patriæ, Rhodanò Ligerique  
 Potatæ genti solitæ fundamina vocis,  
 Quæque novem, fidibus sublimis Apollinis, artes,  
 Et quæ fatidicæ Themidis mysteria prendunt,  
 Mirâ insculperunt operâ: Quem ritè vocâris  
 Hinc Sophiæ lapidem, Prussas qui latus ad oras,  
 Per quinos annos in earum Helicone refulsit  
 Doctrinâ legum multis; Onerisque molesti,  
 Natio quò sustentatur Pomerana, labores  
 Sustinuit Senior totum cum laude per annum;  
 Justitiæ ad Mystas meritis proinde referri,  
 Hos cum publicitus benè consequeretur honores,  
 Sic Havelæ, Warnæ, atque Oderæ gens Baltica vovit:  
 Det DEUS, ut vigeat LAPIS hic splendore perenni,  
 Et cum Doctoris titulò tollatur ad astra!

*Per suum p. t. Fiscalem*

**JOHANNEM SCHUMANNUM,**  
 Micro-Berolino-Neomarch.

☉ (O) ☉

Königsberg, Piss., 1686-94

ULB Halle 3  
004 356 780




*R*  
*H.*

*WMA*







B.I.G.

Farbkarte #13

S.  
 JURIDICA;  
 NAUFRA-  
 ET PRIVA-  
 QUISIONEM  
 NTIBUS,  
 a & puppis nostra-  
 m salutatur,  
 no fctorum Ordine,  
 deramine  
 MINI DECANI,  
 llentissimi & consultissimi  
 DORI PAULI,  
 ujus Academiae celebra-  
 oni sui indefessis cultibus  
 uendi,  
 ite in utroque jure  
 facultate,  
 surae exponet  
 / J.U. Candidatus.  
 RIO MAJORI,  
 ann. M DC LXXXIX.  
 pis REUSNERIANIS.

20  
 16  
 16893

